



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Die Conceptionis D. Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

Cave invidias, cave abjicias animum, cave conqueraris. Tam qui duo acceperat audivit, *Enge serve bone*, quàm qui quinque. In negotiatione quotidie videmus, industrium hominem plus paucis lucrari, quàm multis alium: ita & in negotiatione spiritali accidit. Nam facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam amplio-rem, & amplio-rem. Utere itaque rectè talento tuo, neque in terram defodias, sed, ut ait Greg. hom. 31. *Cor à terrenis cogitationibus leves.*

DIE CONCEPTIONIS

D. VIRGINIS.

THEMA. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Ps. 86.

Sensus literalis planus est. Applicant D. Virgini Athanasius, Augustinus, Ildefonsus, Bernardus &c. Et quod pluris facio Ecclesia &c. Eum sensum sequemur. Sed ipsius oratio, ad gratiam Spiritus Sancti implorandam, sit hujus Sermonis, ut & cæterorum, fundamentum.

AV B.

D. Petrus, cujus conversionis fundamentum, D. Virginis precibus ac lacrymis, secundum Christi gratiam, à multis tribuitur: 1 cap. 2. vult omnes Dei servos esse architectos: *Sisper- adificamini domus spiritalis*, & quidem *cujus culmen pertingat ad calum*: Sapienter, non stultè, ut Gen. cap. 11. O quale ædificium hodie nobis

nobis proponitur pro exemplari? *Neque enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* Tam excelsi ædificii fundamenta benè substructa esse oportet. Quæ illa sint, videamus.

Audistis hodie genealogiam: quam nobilem, priscam, sanctam in multis? En orituræ D. Matris fundamenta. Parum hoc inquit; ergo alia longè firmiora, qui montes ærei vocantur apud Zachariam cap. 6. sunt divinæ Providentiæ & prædestinationis æternæ decreta de Conceptione D. Virginis immaculata. Hic recense seriem decretorum. En ergo fundamenta in montibus sanctis, id est sanctissimus divinitatis decretis. Ex ea explicatione sequitur tertia: Fundamenta D. Virginis, id est Conceptionem, non tantum immaculata fuisse, sed etiam gratiis & actibus virtutum elevata super montes sanctos, id est supra merita omnium Sanctorum.

Non ita de Matre nostra dicamus, ut nostri sumus immemores. Nonne & nos habitacula sumus divinitatis? Ubi ergo fundamenta nostra? In montibus sanctis, inquires, id est in Ecclesia, & in sanctorum doctrina, quorum filii sumus. At quàm multi in Ecclesia non domos Dei posuere, sed habitacula draconum? Aliud ergo etiam fundamentum quærendum est, Christus & ejus gratia, ac prædestinatio in ipso. Unde sciam? Utinam tam fælix sim! Vide utrum domus tua sit D. Virgini innixa, Christo pariter innitetur. Non videtis post Christum D. Virginis cultum esse pro fundamento domibus omnibus

omnibus religiosis? Recensitu faciles sunt. Nonne familiis omnibus præcipuis? Nonne domibus omnibus privatis? Ubi fundamenta vitæ nostræ, à matribus nostris D. Virgini commendatæ, quando primùm concepti fuimus? Ubi fundamenta infantia? Ubi annorum: ubi dierum singulorum, nonne à D.V. invocatione? O Virgo, *Gloriosa dicta sunt de te in Ecclesia: memor esto etiam Rahab: & fac ut omnium nostrum de tua Conceptione, & beatâ nostrâ spe latantium, sit habitatio in te.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA. *Vox clamantis.* Joan. I.

Recitato Evangelio, & post Angelicam Salutationem.

Obvium cuique est, quo sensu Joannes potuerit dicere se vocem clamantis. Erat vox Verbi Divini: Vox gratiæ: Vox boni exempli: Vox clamans, ut singuli secundùm statum suum viverent &c. O vocem argenteam, claram, penetrantem, non aures, sed corda! O si tales modo voces audiremus? Quid, quæso faceretur? Pœniteret vos peccatorum? Restitueretur ablata? Deo in omnibus obediretis? Contenti essetis stipendiis donorum, & beneficiorum, quæ dat Deus singulis prout vult? Hæccine faceretur, si una vobis insonaret vox clamantis Joannis? Atqui non unam quotidie, sed centena millia auditis: totidem, quot sunt
 O creatu-